

ait: Post concupiscentias tuas non eas. Et iterum: si deris concupiscentiam animæ tuæ, in gaudium facies te inimicis tuis venire.

Caput XIV.

INFIRMUM autem in fide assumite. Hic obliquè illos increpare incipit: qui se fortes putabant, ut immoderatè carnibus vescerentur. Item hic infirmos fideles dicit, qui carnes quæ in macello tunc temporis vendebantur, idololatrias esse credebant: & propter hoc sic putantes, ne polluerentur, oleribus vescerentur. Unde præcipitur ab Apostolo: ne imperiti ita sentientes judicent, qui habent fidem: omnia quæ in macello veneunt, sine disceptatione manducant: quoniam omnis creatura Dei bona est: & nihil damnandum est eorum, quæ Deus hominibus ad edendum creavit.

Non in disceptationibus cogitationum. Nolite secundum vestras cogitationes, quem lex non iudicat iudicare. Alius enim credit se manducare omnia. Qui tantam fidem habet, ut non moveatur, aut abstinentia contractus, aut lenio.

Qui autem infirmus est, olus manducet. Infirmus, aut ætate, aut corporis calore. Item hic probatur: quia non de Judæis dicitur, ut quidam putant, sed de abstinentibus. Non enim carnes secundum legem: sed sola olera manducabant. Aliter: Si idcirco tibi infirmitas animæ generatur: quia alium ejusdem propositi, carnibus pro sua fide vesci perhorrescens, fortè cognoscis: noli esse iudex alterius voluntatis, nec exigere ab aliquo. Unicuique in voluntate dimissum est: sed si tibi scandalum est, & non vis carnibus vesci, tibi ipsi impone modum: & melius faciens, sola olera manduca. Magis unusquisque per tuam æquanimitatem ad abstinentiam provocetur, quam irritatus de hoc scandalizet te. Magis in edendis carnibus confirmetur, quod tum non potes quasi culpam in alio reprehendere, si unusquisque, aut fideliter hoc præsumit, aut fortè asperitate valetudinis, aut senectâ hoc faciat exigente.

Is qui manducat, non manducantem, non spernat. Habebant inter se scandala: illi illos quasi carnales iudicabant: & illi illos tanquam stultos irridebant, & superstitiosos iudicabant.

Et qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit. Ita illos Deus vocavit ut te.

Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Cujus tu autoritatis es, ut iudices eum quem lex non iudicat? Unde & Jacobus ait: Qui iudicat fratrem scilicet sapienterem se, iudicat legem. Cæterum ipse Paulus contra mandatum facientes iudicavit, & alijs iudicandi tribuit facultatem. Ad eum qui fide infirmus est iudicatur, non eum debere iudicare manducantem. Omnia quæcumque in macello veneunt: qui robustus fide est, omnia munda mundis esse cognoscit.

Domino suo stat, aut cadit. Sive vivit, sive moritur: quia & ille propter Deum abstinet: & ille secundum Deum manducat.

Stabit autem. Potens est enim Deus statuere illum. Deus qui tres pueros leguminibus pastos, meliores apparere fecit, quam illos qui de mensa regis edebant, potest & illos diutius facere in corpore stare.

Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundat. Judæi in escis diem inter diem iudicare non poterant. Ergo de jejuniis, & abstinentia dicit, quæ non sunt sub certo modo legis redacta, ut unusquisque tantum faciat, quantum potest: quantum mercedem habere voluerit. Unde sequitur: Unusquisque id faciat in tali causa, quod melius esse iudicat. Item hoc est quod dicit: aliquos esse, qui certis anni temporibus, alios esse qui omni tempore vitæ suæ ab esu carniū decreverunt abstinentium.

Qui sapit diem, Domino sapit. Domino sapit, qui propter Deum jejunit, & non propter homines.

Et qui manducat, Domino manducat. Gratias enim agit Deo. Qui propter Dominum manducat: ut prædicandi Evangelium possit habere virtutem: non suæ gulæ studet, sed aliorum salutis: propter quod convecti, gratias referant Deo.

Et qui non manducat, Domino non manducat: & gratias agit Deo. Quia per exemplum illius multi salvantur, & gra-

tias referunt Deo. Qui enim voce agit gratias, solus agit: qui autem etiam in opere, in multis agit.

Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. Nemo fidelium sibi vivit, & nemo sibi moritur: quia Christus pro omnibus mortuus est: ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed illi. Cavendum è contrario, ne nos aut nobis vivamus manducando: aut propter homines moriamur jejunando.

In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: ut & vivorum, & mortuorum dominetur. Adventus Christi & vivos inveniet, & mortuos suscitabit. Nihil ergo refert, utrum te resuscitet, an vivum inveniat: tantum labora, ut coram eo iustus appareas?

Tu autem quid iudicas fratrem tuum? Quia autoritate quasi voracem damnas.

Aut tu quare spernis fratrem tuum? Quasi infirmum despiciens, aut supervacue jejunando?

Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Tunc conscientias nostras Dominus iudicabit, quid & quali voto fecerimus.

Scriptum est enim: Vivo ego dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. Testimonio probat, quia omnes soli Domino reddemus nostrorum actuum rationem.

Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. De his quibus lex tacet. Cæterum si videns peccantem non arguerit, reddet etiam Deo pro eo rationem.

Non ergo amplius invicem iudicemus. Sufficit quod nunc usque fecistis.

Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Hic subtiliter ingreditur ad abstinentiam commendandam: & dicit illos abstinerere debere quamvis firmi sint, ne exemplo illorum, infirmi scandalum patiantur.

Scio & confido in Domino Jesu: quia nihil commune per ipsum. Non hoc ideo dico: quia putem aliquid commune esse. Per Christum enim scio omnia esse mundata. Commune enim dicitur, quicquid immundum videtur in esca Judæorum.

Nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Illi per conscientiam sit commune, qui adhuc ritu Judaico, aliquid post Christi fidem in talibus causis arbitrat immundum.

Si enim propter cibum frater tuus contristatur. Non dixit, propter jejuniū: sed ne illum tuo exemplo, aut provocet, aut compellas.

Jam non secundum charitatem ambulat. Quia invitatus manducat, quod illi non expedit. Etiam non diligit proximum, sicut te, si non illius utilitatem cogitas sicut tuam.

Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non dixit, abstinentia tua, sicut quidam volunt.

Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Libertatem quam habemus in Domino, ut omnia nobis munda sint: non ea ita debemus uti, ut videamur propter gulam, & epulas ambulare. Sive blasphematur, si propter talia contentidimus.

Non est enim regnum Dei esca & potus. Non per escam justificamur. Sed & hoc notandum, quod non dixerit, jejuniū & sobrietas non est regnum Dei: sed, esca & potus. Item hic manifestè monstratur, quoniam regnum cælorum, cibum & potum non habet temporalem, sed illic spiritualiter vivitur.

Sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Quæ per abstinentiam facilius custoditur. Ubi verò iustitia, ibi & pax: ubi pax, ibi & gaudium spirituale: quia ex dissensione semper tristitia, & molestia generatur.

Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. De tali homine nemo potest dubitare, quia sanctus est.

Itaque quæ pacis sunt, sectemur. Ut non invicem nos de hujusmodi iudicemus.

Et quæ edificationis sunt, invicem custodiamus. Sed edificatio est abstinentia, cæterum esca, etiam si neminem perdat, nullum edificat.

Noli propter escam destruere opus Dei. Hominem scilicet à Deo creatum.

Omnia quidem munda sunt. Repetit quod superius di-

xerat, ne creaturam damnare videretur.

Sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Ipsum mundum, illis sit malum, si per illud alterum offendat.

Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum. Exponit quid sit per quod offendere dicebat infirmum. Item hoc loco laudat quidem abstinentiam carnis & vini: sed multo magis admonet, propter scandalum fratris abstinentiam esse à cibo & potu eorum, quæ idolis immolantur.

Neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Infirmatur, à pudicitia. Vinum enim & mulieres apostatate faciunt etiam sapientes.

Tu fidem quam habes penes te ipsum, habe coram Deo. Si enim in hoc fidelem te putas: sic manduca, ut nemo tuo infirmetur exemplo.

Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Quia non suam infirmitatem probando considerat, sed alterius salutem infirmi.

Qui autem discernit: si manducaverit, damnandus est. Si quis de alio discernat & dicat: Ite si manducaverit, plane damnandus est. Hoc non habet fides, & ideo subséquitur.

Quia non ex fide. Non est enim ex fide, si tu alium idcirco condemnas: quia te jejunando, ille manducat. Aliter: Qui se ita iudicat. Idiplum enim est discretio & iudicium: quia & iudicium discernendo fit, & discretio iudicando.

Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Non ex fide, quæ per charitatem operatur. Quicquid ergo alium destruit, ex fide non est: & idcirco peccatum.

Caput XV.

DE BEATISSIMO autem nos firmiores imbecillitates infirmorum suslinere. Si verè firmi estis, sic facite ut ego: qui factus sum infirmus, ut infirmos lucrificarem.

Et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat. Non à nobis-ipsis, sed à proximis collaudemur: sicut & alibi suum nobis proponit exemplum, dicens: Sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Nemo enim potest edificare alterum, cui per bonam vitam non antè placuerit. Sed & sibi placentes sunt, qui propria commoda quærentes, suam faciunt voluntatem.

In bonum ad edificationem. Ostendit modum placendi, & causam: ne ad vanam gloriam placeamus. Simul cum dicit, In bonam edificationem: ostendit & malam esse: sicut est illud: Edificabitur ad manducandum idolothyta.

Et enim Christus non sibi placuit. Imitatur hoc & discipulus Christi: non quærit suum commodum. Ille enim ob aliorum salutem, etiam mortuus est, & impropria amarissima supportavit, dicentium: Vah qui destruit templum, & cætera.

Sed sicut scriptum est: Inpropria impropertium tibi occiderunt super me. Quæcumque non solum Christo, sed etiam sanctis exprobrantur Dei causa, Deo impropertari dicuntur: ut est illud: Ubi est Deus tuus?

Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Nihil enim scriptum est sine causa: nam & merita, vel tentationes iustorum ad nostram proficiunt edificationem: quia Deo manifestissimi erant.

Ut per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus. Per scripturarum solatia, spem futuram patientiæ, sicut expectamus: sicut scriptum est: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum: hoc est qui consolatione legis utuntur, moveri ulla tentatione non possunt, ut per exempla patientiæ, & consolationis eorum quæ scripta sunt speremus consolationem, etiam in præsentibus tentationibus. Magna enim causa solatii est, si quæ nos patiamur, Dominum nostrum Jesum Christum, & sanctos ejus sciamus esse perpeffos.

Deus autem patientiæ & solatii. Hoc loco Deum patientiæ, Spiritum sanctum significat, qui donat nobis secundum Christum unanimes glorificare Deum & patrem Domini nostri Jesu Christi. Item patientiæ ejus quæ est in conversione & solatio, non ira neque dissidio.

Dei vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum.

Christum. Ut unusquisque sic quærat salutem alterius quasi suam, sicut Christus sua morte omnes salvavit à morte.

Ut unanimes uno ore honorificetis Deum, & patrem Domini nostri Jesu Christi. Tunc verè Deus honorificatur, si uno animo, & concordia voce laudatur. Si enim duo convenerint super terram ex omni re: quæcumque petierint, fient illis.

Propter quod suscipite invicem. Propter honorem Dei invicem onera vestra portate: sic adimplebitis legem Christi: quia nos suscipit in se cum essemus impii. Quanto ergo magis nos invicem, ut similes, nos suslinere debemus. Iterum hic utrumque populum ad unitatem hortatur. Consentio vobis ô Judæi, quia Christus vobis promissus ad vos venerit primum: & gentes propter misericordiam Dei vocatæ sint: tamen unum corpus estis effecti.

Sicut & Christus suscipit vos in honorem Dei. Sive in gloriam divinitatis: sive propter honorem Dei.

Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei. Hic ostendit quoniam secundum carnem Christus, juxta promissiones patrum ex ipsis natus sit: ut præcepta legis impleteret. Item non venerat ministrari, sed ministrare: & dare animam suam redemptionem pro multis.

Ad confirmandas promissiones patrum. Quia illis promiserat Christus sicut ipse dicit: Non veni nisi ad oves perditas domus Israël.

Gentes autem super misericordia honorare Deum. Cui enim plus dimittitur, plus diligit.

Sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine: & nomini tuo cantabo. Tulit Judæis arrogantiam, dum gentium salutem docet esse prædictam: quamvis non fuerit nunciatus ipse Christus in gentibus. Confitetur eos misericordiam consecutos: quia & ipsi sunt in corpore ejus.

Et iterum dicit: Latamini gentes cum plebe ejus. Qui cum ipsis estis ad salutem adducti.

Et iterum: Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. Et rursus Isaias ait: Erit radix Jesse. Jesse pater fuit David: de cujus semine, id est Maria, natus est Christus.

Et qui exurgat regere gentes: in eum gentes sperabunt. Non de profelytis asserit, sed & illud huic loco simile est: Non deficiet princeps ex Juda, nec dux de femoribus ejus. Unde probatur verè jam venisse Christum, in quo omnes gentes sperare manifestum est.

Deus autem spei. In quo omnes speramus: hoc ostendit quomodo Deus absque virtute Spiritus sancti, non replet aliquando nationem gratia, quoniam unum donum est Patris & Spiritus sancti.

Repleat vos omni gaudio & pace. Pax fidelium, in spe debet esse futura. Et ibi omne gaudium, ubi pax est. Nullum vero in dissensione gaudium: sed universa mœstitia.

In credendo, ut abundetis in spe & virtute Spiritus sancti. Abundantia in spe, in spiritu: virtutibus consistit, & signis.

Certus sum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis. Bonus doctor laudando provocat ad profectum, ut erubescant tales non esse quales ab Apostolo putantur.

Quoniam & ipsi pleni estis dilectione. Providit ne unquam contentiosius dura increpasse videatur. Vel dissidentes aut stultos ostendit Christianos semper alterutrum monere debere.

Repleti omni scientia: ita ut possitis alterutrum monere. Hoc est novi & veteris testamenti.

Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte. Imo ideo magis scribendi fiduciam habui, quia novi vos ut prudentes cito accipere rationem: sicut scriptum est: Argue sapientem, & amabit te. Item hoc loco aut humilians se Apostolus loquitur: aut certè quoniam habentibus jam prædicationem Petri, ipse audeat prædicare.

Tanquam in memoriam vos reducens. Recordans vos esse prudentes sive non ignaros, non doceo, sed commoneo, ut scientes.

Propter gratiam quæ data est mihi à Deo. Non propter munera terrena vel laudem, sed ut impleam officium quod accepi.

Ut sum minister Christi Jesu in gentibus. Servius Evangelio: hoc est, revocans ei servos quosdam fugitivos, Sanctificans Evangelium Dei. Meo exemplo sanctum esse

demonstrans, quod cum tanto timore perficio. Quidam enim ut humanum contempnunt, quod prædicant ut divinum: & ita fit ut res sancta videatur esse non sancta, cum non perficitur sanctè. Unde dicitur: Sanctificate jejunium: id est, sanctum facite, sive monstrate.

Ut fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto. Ut exemplo meo gentes efficiantur hostia Deo accepta, non igni sanctificata vel suscepta, sed Spiritu sancto: sicut scriptum est: Quia sedit super Apostolos quasi ignis: & vise sunt eis variae linguæ.

Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Gloriam habeo apud Deum, licet apud homines infamer & maculet.

Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus, in obedientiam gentium. Hic ostendit Christi & Spiritus sancti, unam esse potentiam atque virtutem. Item non ausus sum aliquid dicere me in his duntaxat rebus propria virtute fecisse, & non omnia per me esse Deum operatum.

In verbo & factis, in virtute signorum, & prodigiorum. Hoc est doctrina & signis. Non enim de operibus hic, sed de virtutibus loquebatur.

In virtute Spiritus sancti. Unam esse virtutem atque potentiam.

Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. Repletur Evangelium, cum etiam gentes credunt.

Sic autem prædicavi Evangelium hoc: non ubi nominatus est Christus: ne super alienum fundamentum edificarem. Non omnis qui super alienum fundamentum ædificat, malè facit: sed si ædificet aurum, & cætera. Hic pseudoapostolos tangit, qui semper ad eos qui jam crederant ibant, & nunquam ad gentes: quia non poterant virtutes operari. Et ostendit perfectè se laborasse, qui & fundamentum posuit, & ædificium superstruxit.

Sed sicut scriptum est. In Isaia. Ostendit suum laborem jam antè fuisse prædictum.

Quoniam quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt de eo, intelligent. Ostenditur Christus in Apostolis, & per virtutes quæ in ejus nomine fiebant.

Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos. Exposuit illud quod in capite dixerat.

Et prohibitus sum usque adhuc. Nunc verò ulterius locum non habent in his regionibus. Ubi jam toti firmi sunt, causam se negat habere ponendi fundamentum.

Cupiditatem autem habens veniendi ad vos. Notandum, esse cupiditatem etiam bonam: sicut, Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Et: Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas.

Ex multis jam præcedentibus annis. Qualis necessitas fuerit ostendit, quæ illum multis detineret annis.

Cum in Hispaniam proficisci cæpero, spero quod præteriens videam vos. Utrum in Hispania fuerit, incertum habebatur.

Et à vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruius fuero. Quia ita vos exhibetis, ut nec apud vos locum aut necessitatem habeam diutius remorandi: & ideo ex parte illis fuisse dicit: quia non credere indigebant, sed tantummodo confirmari. Sive ideo ex parte: quia nulla magnitudinem temporis faciat charitatem.

Nunc igitur proficiscar in Jerusalem. Hoc mihi restat deinceps ut veniam.

Ministrare sanctis. Sancti erant in Jerusalem, qui omnibus suis distractis, & ante Apostolorum pedes depositis, orationi, lectioni, doctrinaeque vacabant. Quales autem fuerint, ex hoc cognoscitur, ut ipse Apostolus per se illis pergeret ministrare: & quibus oblationem suam esse optat acceptam: id est, ut eam dignentur accipere, ostendens hoc non tam prodesse accipientibus, quam dantibus. Hoc contra illos facit qui gloriam perfectionis impugnant.

Probaverunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam sumptuum facerent sanctis.

In pauperes sanctorum qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis. Quia propter sanctorum ædificationem esse pauperes voluerunt. Sive simpliciter pauperes sanctorum intellige.

Et debitores sum eorum. Exemplo eorum provocat Romanos ad simile opus, ostendens hoc illis non immeritò placuisse.

Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles: debent & in carnalibus ministrare eis. Quia doctores ex ipsis habebant, & focii facti fuerant radicis, & pinguedinis olivæ: ideoque unusquisque in quo abundat debet alteri impartire.

Hoc igitur cum consummavero, & assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. Si vos bene exhibueritis, abundavit nobis bona doctrina in vos: quia quantum proficit discipulus, tantum provocatur ad docendum & doctor. Sicut alibi ait: Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii. Sive, abundanter benedicuntur in adventu meo Christus in vobis.

Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam. Sciens Apostolus quoniam propter prædicationem Christi Romam vincens ducendus erat, in abundantia benedictionis prædicat se esse venturum. Vel certè quoniam conscius sibi erat, nihilominus habere se gratiam ab aliis Apostolis.

Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum. Rogat ut pro eo tota instanter oret Ecclesia: quia novit multum valere preces in communi multorum. Jacobo enim occiso, Petrus fratrum precibus de carcere liberatur: qui non tam illi quam sibi beneficium præstitit, scilicet ut ejus possint doctrina firmari.

Et per charitatem sancti Spiritus: ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Spiritualis enim charitas facit ut pro invicem exoretis.

Ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judaæa: & obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis. Sive ut omnes credant: sive fidelibus ministrans, in manus infidelium non incurram: ne ad vos venire non possim.

Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum. Tunc in gaudio veniam, si oblatio mea ab eis accepta fuerit: & securus verbum Dei abundantius loquar. Tristitia enim animi multum impedit ad doctrinam.

Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen. Deus pacis non nisi in pacificis est. Pulchrè autem finivit, duobus populis in concordiam revocatis.

Caput XVI.

COMMENDO autem vobis Phæben sororem nostram. Jam quasi finito textu Epistolæ, ut solet commendationis gratiam subter adnexuit. Item hic monstrat Apostolus non accipiendam aut eligendam personam esse viri vel feminae, quando Romanis per mulierem (ut fertur) litteras mittit. In eadem Epistola aliis feminis mandat salutem.

Quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est Cenchraia. Sicut etiam nunc in Orientalibus diaconisse mulieres, in suo sexu ministrare videntur in baptismo, sive in ministerio verbi: quia privati docuisse feminas invenimus, sicut Priscillam, cujus vir Aquila vocabatur.

Ut eam suscipiatis in Domino dignè sanctis, & assistatis ei in quocumque negotio vestri indigerit. Etenim ipsa quoque assistit multis & mihi-ipsi. Ut adjuvetis eam, sive sumptuum opibus, sive solatio: quia & ipsa quamdiu habuit, plures adjuvit.

Salutate Priscam & Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu. Qui conformasse se Apostolo dicuntur in fide: quos & ideo adjutores appellat, quia in opere doctrinarum ubi ipse laborabat, & isti juverunt.

Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: Quibus non solum ego gratias ago, sed & cuncta Ecclesiæ gentium. Probando meam doctrinam, se periculo subjecerunt, propter quod illis omnes Ecclesiæ gratias agunt: quia per illos ego servatus sum.

Et domesticam Ecclesiam eorum. Ostendit congregationem fidelium, Ecclesiam nominari.

Salutate Epanetum dilectum mihi: qui est primitivus Ecclesiæ Asiæ in Christo Jesu. Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. Primitivos Ecclesiæ Asiæ, istos omnes quos salutari, intelligimus ex nominibus fuisse peregrinos: per quorum exemplum atque doctrinam, non absurdè existimamus credidisse Romanos.

Salutate Andronicum & Juniam cognatos, & concaptivos meos: qui sunt nobiles in Apostolis: qui & ante me fuerunt.

rant in Christo Jesu. Salutate Ampliatum, dilectissimum mihi in Domino. Salutate Urbanum, adjutorem nostrum in Christo Jesu: & Stachyn dilectum meum. Salutate Apellen, probum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcisci domo, qui sunt in Domino. Salutate Triphenam, & Tryphosam: quæ laborant in Domino. Salutate Persidam charissimam, quæ multum laboravit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino: & matrem ejus & meam. Etate, non partu matrem salutate. Hi ex Judæis erant, & quia simul cum Paulo fuerant tribulati, nec terrii: ideo nobiles hoc merito habebantur: qui ad profectum Romanorum inter ceteros fuerant destinati, quique priores Paulo credidisse, ipsius testimonio referuntur.

Salutate Asyncritum & Phlegontem Hermam, Patroban, Hermen, & qui cum eis sunt fratres. Salutate Philologum & Juliam, Nereum & sororem ejus, & Olympiadem: & omnes qui cum eis sunt sanctos. Suo exemplo nos docet quales amicos debeamus in nostris literis salutare: non divites sæculi, facultatibus vel dignitatibus honoratos: sed gratia ac fide locupletes.

Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. Non fidè vel subdole, quale Judas tradidit salvatori. Ideo enim in Ecclesiâ pax primo annunciat: ut ostendat se cum omnibus esse pacificum, qui corpori communicaturus est Christi.

Rogo autem vos fratres, ut observetis eos qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri. De illis dicit qui ex circumcisione illo tempore venerunt, jejunia & abstinentiam destruentes, neomenias, & sabbata, & cæteras ferias, ventris gratia prædicabant, dissentientes ab apostolica doctrina, & fratribus offendicula præparantes.

Et per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. Per blandimenta, & adulationes, compto sermone compositas.

Vestra enim obedientia in omni loco divulgata est. Si illis obedistis quibus non debuistis: quanto magis vobis obedire debetis? Nam & illi propterea ad vos venerunt, quia sciebant vos per obedientiam simplicem citò posse seduci.

Gaudeo igitur in vobis: sed volo vos sapientes esse in bono: & simplices in malo. Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Salutari vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jason, & Sosipater, cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam hanc, in Domino. Salutate vos Cajus hospes meus, & universa Ecclesia. Quia bona est obedientia,

Commentarii in Epistolam ad Romanos finis.

COMMENTARIUM IN PRIMAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

Caput I.

PAULUS. Paulus, quod nomen præponit in Epistolis, autoritatis esse noscendum. Item aliter: Paulus Apostolus, connectens in Epistola fratrum nomina: vel humilitatem suam significat: vel cooperatorem esse cum Apostolice prædicationis ostendit.

Vocatus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei. Voluntate Dei vocatur quisque ad fidem: sed sua sponte, & suo arbitrio credit: sicut ait in Actibus: non fui incredulus cælesti visioni.

sed si rationabilis sit: & ideo volo vos sapientes esse in bono, ut malum nescientes, sub pedibus innocentie deponatis inimicum. Ita enim dedit nobis Dominus potestatem calcandi super scorpiones atque serpentes, & omnem virtutes inimici: id est ne vobis prævaleat: & omnibus super eum membris liberis ac solutis ambulare possimus.

Salutat vos Erastus arcarius civitatis: & Quartus frater. Hic arcarius ex arcario dicit: sicut gentes credentes ex gentibus sæpe vocavit, secundum consuetudinem legis quæ Abigail, uxorem Nabal adhuc appellat, cum jam illo mortuo in David matrimonium transisset.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Hæc est subscriptio manus ejus in omnibus Epistolis, ut in ea etiam commoneat beneficia Christi.

Ei autem qui potens est vos confirmare. Signis atque doctrinis. Item hic Patris personam monstrat. Descendens autem dicit: manifestatum hunc per scripturas propheticas secundum imperium æterni Dei: Spiritum sanctum significat. Item infert: Cognitum est soli sapienti Deo per Christum Jesum: cui gloria in sæcula. Hoc loco Patrem & Filium manifestè loquitur. Quod autem dicit: Cognitum est soli sapienti Deo: in communi munere, mysterii significat trinitatem.

Juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu Christi. Ut sic vivatis, quomodo ego Christi exemplo, & autoritate gentibus prædicavi.

Secundum revelationem mysterii. Mysterium de vocatione universarum gentium in lege diu fuerat occultatum, quod nunc per Paulum evidenter patefactum est Evangelium in Christo per testimonia Prophetarum: quia quamvis de gentibus antè multa dixisset, tamen quomodo & in Christo unum fierent & Judæi, nemo tam apertè cognoverat. Existimare enim poterant quosdam ad fidem quasi profelytos admittebant.

Temporibus æterni taciti, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum. Descendens autem dicit quid est patefactum.

Secundum præceptum æterni Dei. Præcepit Deus ut omnes gentes obediant, & Deum agnoscant, quod futurum quandoque solus antè sciebat, qui solus naturaliter sapiens, sicut naturaliter bonus: cum tamen, & homo dicatur bonus: sed nos institutione boni vel sapientes esse possumus: ille natura. Cui per Jesum Christum gloria & honor in sæcula sæculorum.

Ad obedientiam fidei in cunctis gentibus. Spiritum sanctum significat. Item infert.

Cogniti soli sapienti Deo per Jesum Christum: Cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.